



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1508. usque ad annum 1513

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1769**

**VD18 90118456**

§. 4. Cæsar, & Arragoniæ Rex hujus fœderis focii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66433](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66433)

Sæcul. XVI.  
A.C. 1508.

bat Stephanus Poncherus Parisiensis Episcopus, qui hæc consilia evertere conatus est, prætendens, Gallis summe proficuum esse Venetorum amicitiam, ceterorum vero societatem Franciæ omnino exitiosam. Hic Episcopus communem Senatorum consensum non nisi abjectæ adulationi, qua primo Regis Ministro obsequi certabant, adscribebat; censebat enim, quod servili quodam Regis voluntati inserviendi studio ducti fuissent, cum tamen haud alio ex fine ad Senatorum dignitatem evecti essent, quam ut Regi, quæ justa censerent, consilia suggererent, ab iis vero, quæ iniqua sunt, eundem absterrent. Palam quidem erat, Episcopum hunc recte sensisse, sed prævalebat ceterorum auctoritas, ac ipsemet Ludovicus Rex æque ac ejus Minister in Venetos commotus, eos vexandi occasionem sibi oblatam avide arripiebat.

## §. IV.

*Cæsar, & Arragoniæ Rex hujus  
fœderis socii.*

*Raynald.*  
*ann. 1509.*  
*num. I.*

Cum vero Cæsarem quoque fœderis hujus socium optarent, idcirco Oratores ad eum decreverunt, atque, ut eò certius illum ad suas partes pertraherent, dextre veterum, quibus olim cum Venetis

tis collidebatur, contentionum necdum Sæcul. XVI.  
 plene extinctarum memoriam refrica- A. C. 1508.  
 runt: nec incassum; Maximilianus quippe  
 foederis articulos sibi prælegi jussit,  
 cum autem eos rebus suis propitios cer-  
 neret, lubens illos approbavit. Ast non  
 eadem facilitate Ferdinandus Arrago-  
 num Rex societati huic nomen dedit,  
 sed plura eaque gravia, quæ ipsum ab  
 hoc foedere absterrent, proponebat ob-  
 stacula. Ergo ut illa e medio tollerentur,  
 adlaboratum est, & quamvis ipse ex  
 rationum momentis sibi propositis hanc  
 societatem minus æquam cognosceret,  
 nihilominus oblato foederi subscripsit;  
 intellexerat enim, quod tum Cæsar, tum  
 Galliarum Rex unioni huic faverent, a-  
 liunde etiam hujus societatis beneficio  
 spem concipiebat recuperandi ea, quæ  
 Carolo VIII. bellum in Neapolitanos mo-  
 vente, Venetis in Apulia pignoris loco re-  
 liquerat. Itaque & ipse ceteris arma sua  
 conjungere pollicebatur, eo tamen con-  
 silio, ut a novis hisce foederatis deficeret,  
 quamprimum commodi sui ratio datæ  
 fidei mutationem suaderet.

## §. V.

*Quæsitæ hujus Fœderis causæ.*

Igitur utrinque firmabatur nominatissi- Guic. hist.  
 mum hoc foedus, quod vulgo *Camera- l. 8.*

A 3

censis